

ORDINIS IVRIDICI DECANVS
IOANNES STEPHANVS PÜTTER

I. V. D. REGI A CONSILIIS IVSTITIAE INTIMIS ET PROFESSOR
IVRIS PVBLICI ORDINARIVS

VIRORVM PRAENOBILISSIMORVM
GEORGII BROEKEL
HANNOVERANI

FRANCISCI SPENDEL
MANHEMIO - PALATINI

THOMAE BRVNEMANNI
HAMBVRGENSIS

GVSTAVI WILHELMI DREYERI
BREMENSIS

SOLLENNIA INAVGVRALIA INDICIT.

PRAEMISSA COMMENTATIONIS

*de instauratione imperii Romani sub Carolo III. et Ottonibus
facta eiusque effectibus*


PARTE QVINTA

*de mutatione, quae in titulis regum et imperatorum a secunda
illa instauratione inde contigit, eiusque effectibus.*

GOETTINGAE

EX OFFICINA F. A. ROSENVSCH MDCCLXXIV.





§. I.

Quo maiorem operam impendi indagandis fontibus, Primus errorum fons latet in mutatione titulorum. e quibus emanauerint tot errorum riuuli, qui de translato in Francos Germanosque Romanorum imperio tam late se diffuderunt; eo certius me persuasum habeo, primum omnium harum rerum principium, fatis exiguum illud quidem, in illa mutatione quaerendum esse, quae paulatim in titulis contigit, quibus Franciae reges et imperatores uti solebant.

§. II.

CAROLI M. enim successores non aequè amplius, Nempe I) quod ad historiam huius rei attinet A) Caroli M. successores solo imperatoris regisne titulo uti coeperunt. ac is consueuerat (a), diuersos imperatoris regisque Francorum et Longobardorum titulos cumulauerunt, sed aut solo imperatoris Augusti (b), aut, si Romani imperii coronaue imperialis compotes haud erant facti, solo regis titulo uti coeperunt (c), nisi quod reges vni tantum

4 DE MUTATIONE IN TITVLIS REGVM ET IMP.

tantum *prouinciae* praefecti huius nomen addere sole-
rent (d), *regesque Franciae occidentalis* familiarem sibi
formulam redderent *regis Francorum* (e). Contra quod
reges Franciae orientalis solum *regis* titulum in litteris
suis nulla populi mentione addita vſitare continuerunt,
donec noua dignitatis caefareae inſtauratio ſub Ottone
M. facta nouis iterum titulorum mutationibus anſam
praeberet (f).

- (a) Iam ante Carolum M. vſitata regibus primae ſtirpis erat for-
mula: "Chlodouaeus *rex Francorum*, vir illuſter;" niſi
quod in epistoſis ſuis titulum *illuſtris* ſupprimere, et ſubinde
ſimpliciter reges ſe dicere ſolerent Merouingi. Ioh. MA-
BILLON *de re diplomatica* lib. 2. cap. 3. §. 2. 3. p. 69. Eum-
dem morem ſeruauit Pipinus, niſi quod infereret formulam:
Dei gratia, quam et retinuit Carolus M. MABILLON *l. c.*
§. 6. p. 71. Atque ſic ab anno 768. vſque ad annum 774.
CAROLVS M. ſolum titulo *regis Francorum* vſus fuit, hac
formula: "Carolus gratia Dei *rex Francorum* vir inluſter."
„Ab anno autem 774. inde ad annum 800. vſque formula
„tituli adhibita: "Carolus gratia Dei *rex Francorum* et Lon-
„gobardorum ac *patricius Romanorum*:" additum quoque
nonnunquam: *vir inluſter*. Denique poſt ſuſceptam a. 800.
coronam imperialem: "Karolus ſereniſſimus Auguſtus a Deo
„coronatus, magnus et pacificus *imperator Romanorum gu-*
„*bernans imperium*, qui et per miſericordiam Dei *rex Fran-*
„*corum* et *Longobardorum*." MABILLON *l. c.* §. 7. p. 72.
Ioh. HEVMANN *de re diplomatica imperatorum ac regum*
Germanorum cap. 2. §. 47. p. 27.

- (b) Iam a LVDOVICO PIO hoc repetendum eſt, quod ſolus
imperatoris Auguſti titulus in diplomatis imperatorum ad-
hibitus fuit, omiſſo plane regio titulo, neque facta amplius
Francorum, nec *Longobardorum*, immo nec *Romanorum*
mentio-

mentione, veluti hac simplice, qua Ludouicus pius vsus fuit, formula: "Hludouicus diuina ordinante (seu propi-
 ,,tiante) prouidentia (seu clementia) *imperator Augustus*,"
 et post adsumtum in imperii societatem filium: "Hludou-
 ,,cus et Hlotharius diuina ordinante prouidentia *imperatores*
 ,, *Augusti*." MABILLON *l. c.* §. 13. p. 75., HEVMANN
l. c. cap. 3. §. 70. p. 172. Eundemque morem vtendi solum
 titulo *imperatoris Augusti* continuarunt sequentes imperato-
 res omnes ad Ottonem III. vsque, sub quo demum incipit
 formula: "*Romanorum* *imperator Augustus*." MABILLON
l. c. cap. 4. §. 6. p. 83.

(c) Solo regis titulo in Francia occidentali primum vsus fuit CA-
 ROIVS CALVVS hac formula: "Karolus Dei gratia *rex*,"
 quam formulam et retinuerunt Franciae occidentalis reges
 Ludouicus balbus et Carolomannus. MABILLON *l. c.*
 §. 14. sq. p. 76. sq. Similiter et Franciae orientalis reges so-
 lum regis titulum adhibuisse docent diplomata LVDOVICI
 GERMANICI apud HONTHEMIVM in *historia Treuirensi*
diplomatica tom. I. p. 209. 214.; item diploma ARNVLPHI
ibid. p. 226. &c.

(d) Sic primum LVDOVICVS PIVS, quum iam a. 781. rex
 Aquitaniae factus esset, hac formula vti consuevit: "Ludo-
 ,,vici diuina ordinante prouidentia *rex serenissimus Aquita-*
 ,, *niae*," aut breuiore quoque formula: "Ludouicus gratia
 ,,Dei *rex Aquitanorum*." MABILLON *l. c.* cap. 3. §. 13.
 p. 75. Deinde et LVDOVICVS GERMANICVS se *regem*
Boiuariorum nominasse in compluribus diplomatibus obser-
 vatur in PETZ. *thesauro* part. 3. p. 16. *Chronicon Gottwicen-*
se lib. 2. §. 19. p. 118.

(e) Adhuc ODO Franciae occidentalis rex (888-898.) et CA-
 ROIVS SIMPLEX solum regis titulum adhibuerunt, sed
 primum RVDOLPHVS (923-936.) pristinam regum pri-
 mae

6 DE MUTATIONE IN TITVLIS REGVM ET IMP.

mae stirpis formulam: *rex Francorum*; et vel addito titulo: *vir inluster*, iterum introduxisse videtur; cuius ad exemplum porro Ludouicus transmarinus, Lotharius, Ludouicus V, omnesque porro reges Capetingici hanc formulam: *rex Francorum*, seu mutato ordine: *Francorum rex*, continuauerunt. MABILLON *l. c.* lib. 2. cap. 3. §. 17. sq. p. 77.

- (f) Simpliciter regis titulo vsi fuerunt Conradus I. et Henricus I., vt vel falsa incusari possint diplomata horum regum, in quibus formula regis Francorum vel plane regis Romanorum adhibetur. *Chronicon Gottwicense* lib. 2. §. 19. p. 118.

§. III.

B) *Ab Ottone M. inde 1) ipse quidem Ottone M. adhuc variavit in titulis suis;*

Ipse quidem OTTO M., posteaquam ab initio regni sui exemplo antecessorum similiter solo regis titulo vsus fuerat (a), in prima in Italiam expeditione, qua Berengarium II. regno Italiae deicere constituerat, iam a. 951. titulum regis Francorum et Longobardorum adhibere coepit (b). Sed placato adhuc Berengario a titulo regis Longobardorum se abstinuit, solo iterum regis encomio adhibito, donec ab a. 962. inde post susceptam Romae coronam imperialem regis titulum plane cum titulo imperatoris commutaret, a quo tempore solo imperatoris imperatorisue Augusti titulo vsus est, nisi quod perhibentur etiam diplomata, quibus mox Romanorum, mox et Longobardorum et Francorum mentio eius titulis iniecta fuit (c).

(a) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 165. sq.

(b) Vide diploma in PVRICELLI monumentis Ambrosianae basilicae ad a. 951. fol. 293., quod incipit: "*Otto Dei gratia rex Francorum et Longobardorum,*" et in fine habet clausulam: "*data sexto idus Octobris anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCCLI. indictione decima, anno regni*"
„Ottone“

„Ottonis in Francia XVI, in Italia I. Actum Papiae in
 „Dei nomine feliciter, Amen.“ MASCOV comm. de rebus
 imperii R. G. a Cour. I. vsque ad Henr. III. lib. 2. §. 19. p. 53.
 (c) Chronicon Gottwicense l. c. p. 167.

§. IV.

Post OTTONEM M. haec vniuerse obseruata est regula, vt, quamprimum post susceptam Romae coronam imperialem imperatoris titulum quis vindicare sibi posset, nulla regis Francorum Longobardorumue mentio adii- ceretur; ante coronationem autem Romae factam solus re- gis titulus vsitaretur. Idque vtrumuis non solum regi- mine iam suscepto obseruabatur, sed et tum, quando superstitite imperatore ad firmandam solum filio eius suc- cessionem huic regia caesareaue dignitas conferebatur. Quem posteriorem morem ad exemplum pristinorum Romae imperatorum, qui consortes imperii seu coimpe- ratores sibi iungere consueuerant, iam a Carolo M. inde vsitatum etiam Ottones adoptarunt. Vnde sigillatim in- telligitur, qua ratione OTTO II. ab anno 961. inde vs- que ad a. 967. solummodo regem, ab a. 967. inde mox coimperatorem, mox imperatorem se nominauerit (a), at- que similiter OTTO III. ante coronationem Romanam simpliciter rex, post eam imperator, aut subinde etiam Romanorum imperator Augustus dictus fuerit (b).

2) Otto II. et III. simplici- ter iterum re- gis vel imp- ratoris titu- lum vsitau- erunt.

(a) Chronicon Gottwicense lib. 2. p. 195.

(b) Chron. Gottw. lib. 2. p. 214.

§. V.

Tamquam singulare quid in nonnullis HENRICI II. diplomatibus obseruari potest, quod subinde is Fran- ^{3) Henricus II. primus in- vexit titulum} _{regis Roma- norum,}
 CORVM regis Roma- norum,

corum et Longobardorum regem se nominauerit (a). Primus quoque omnium is est, qui titulum *regis Romanorum*, antequam Romae coronatus esset, adhibuit (b), quod quidem haud parum firmare videtur coniecturam, sub OTTONE III. nouum ius stabilitum fuisse, vt quilibet Germaniae rex sibi ius in regnum Romanorum vindicare posset. At ceterum tamen et HENRICI II. fat multa supersunt diplomata, quibus simpliciter *rex*, non *rex Romanorum* nominatus fuit (c). *Imperatoris* autem titulus vt nemini conueniat, nisi Romae coronato, hoc tempore de nouo stabilitum est (d).

(a) Vide duo Henrici diplomata a. 1009. et a. 1006. in FERD. VGHELLI *Italia sacra* tom. 4. p. 594., tom. 5. p. 280. *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 232.

(b) Regem Romanorum se vocauit Henricus II. in diplomatibus a. 1013. in LÜNIG *spicil. eccl.* tom. 2. p. 704., MAICHEL BECK *hist. Frising.* part. 2. n. 1155., et SCHANNAT *tradit. Fuldens.* n. 593. p. 243. Vnde frustra id in dubium vocatur in *Sabns Reichshist.* part. 2. p. 201. Quin papalis etiam bulla exhibetur in BROWERI *anal. Treuir.* tom. 1. lib. II. n. 9. p. 505., in qua Benedictus VIII. *regem Romanorum* Henricum a suscepto inde Germaniae regimine agnoscit, regisque et imperii Romanorum annos distinguit hac formula bullae finali: "data 6. Idus April. — anno Henrici inuicissimi *regis Romanorum* XVII., *imperii* vero eius tertio." *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 231. § 9. Compara quoque GVDEN. *cod. diplom.* tom. 1. p. 214. et HONTHEIM *hist. Treuir.* tom. 1. p. 353.

(c) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 231. § 9.

(d) Teste GLABRO RODVLFO lib. I. cap. 5. apud DVCHESNE tom. 4. p. 10. sub Henrico II. et Benedicto VIII. decretum fuit: "vt ne quisquam audacter *Romani imperii sceptrum*
„prae-

„praeposterus *gestare* princeps appetat, seu *imperator dici*
 „aut esse *valeat*, nisi quem papa sedis Romanae morum pro-
 „bitate *delegerit aptum reipublicae, eique commiserit insigne*
 „*imperiale.*” Sic deinde Adrianus IV. papa archiepiscopis
 Germaniae scribere non dubitavit: “*Romanum imperium a*
 „*Graecis translatum est ad Alemannos, ut rex Teutonico-*
 „*rum non ante, quam ab apostolico coronaretur, imperator*
 „*vocaretur.*” Ante consecrationem rex, post, imperator.”
 AVENTIN. *annal. Boior.* lib. 6. cap. 5. n. 10. (edit. 1710.)
 p. 607.

§. VI.

Post Henricum II. iterum et CONRADVS II. (a) quem 4) stabilem reddidit Conradus III. nouoque sensu primum adhibuit Henricus VII. Friederici II. filius. et HENRICVS III. (b) solo *regis* titulo vsque ad coronationem Romae susceptam vsi sunt, non *regis Romanorum* titulo, quem demum *instaurasse* videtur, necdum tamen semper adhibuit HENRICVS IV. (c). Contra HENRICVS V. quidem perpetua et vniformi vsus fuit formula: *rex Romanorum quintus*, donec ab a. 1111. inde *Romanorum imperatorem* se scribere posset (d). Sed LOTHARII Saxonis iterum diplomata ante annum 1133., quo Romae coronatus fuit, eum mox simpliciter *regem*, mox *regem Romanorum* se scripsisse docent (e); donec tandem a CONRADO III. inde *perpetuus* ille *stilus* inualuerit, vt ab electione regis in Germania facta statim *rex Romanorum*, a coronatione Romana deinde *imperator Romanorum* is vocaretur (f). Cui denique ab HENRICO VII. Friederici II. filio inde a. 1220. noua accessit *obseruantia*, vt, superstiti imperatori regie regnanti qui *futurus successor* eligitur, similiter *rex Romanorum* a momento electionis istius, etiam antequam regiminis auspiciam caperet, vocari nunc soleat (g).

B

(a) Chron.

IO DE MUTATIONE IN TITVLIS REGVM ET IMP.

- (a) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 250. §. II.
 (b) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 270. §. 7.
 (c) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 283. 285. ibique alleg. *Hvnd metrop. Salusb.* tom. I. p. 151., *MIRAEI cod. dipl.* tom. 2. c. 24 p. 385.; *LEVCKFELD antiquit. Poeld.* append. 4. n. 7. p. 279.
 (d) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 310.
 (e) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 329.
 (f) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 346. 366. sq.
 (g) *GVDENVS cod. diplom.* tom. 2. p. 943., *Sam. Lenz Abhandlung*, von welchem Römischen Könige wir die ersten diplomata finden, in den Hannoverischen gelehrten Anzeigen 1752. p. 705. sq.

§. VII.

Nec 5) alio-
 rum regno-
 rum amplius
 mentio facta,
 nisi Siciliae
 regni ab Hen-
 rico VI. inde

Sic itaque reuera *Romanorum* ille non *imperatoris* solum, sed et *regis titulus* nunc *aliorum*, quibus idem rex vel imperator noster imperabat vel imperare destinatus erat, *regnorum titulos* omnimodo *absorbuit*, vt nec *Francorum* (Germanorumue aut Teutonicorum) nec *Longobardorum* amplius mentio in titulo isto adiceretur. Quin quum etiam *CONRADVS II.* imperator nouam *regni Arelatensis* acquisitionem fecisset, tamen nec eius abhinc magis quam olim Lotharingiae Franciae orientali adiectae mentio in titulis regiis facta fuit. At ex quo tamen *HENRICVS VI.* imperator Siciliae regnum sibi vindicauerat, *regis Siciliae* titulum titulo imperatoris Romanorum iunxit (a), similique ratione et Siciliae et *Hierosolymarum* regem pariter ac Romanorum imperatorem se nominauit *FRIEDERICVS II.* (b).

(a) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 392.

(b) *Chron. Gottw.* lib. 2. p. 424. sq.

§. VIII.

§. VIII.

Tandem ex quo MAXIMILIANVS I. imperator aduente pontifice LVLIO II. hanc nouam introduxit obseruantiam, vt quilibet Germanorum rex, etiamsi Romae coronatus non sit, *electum Romanorum imperatorem* se scribere possit; simul introducta demum est adiectio *regis Germaniae* tituli (a), eique deinde sequentes imperatores adnectere etiam coeperunt *reliquorum*, quibus praefuerunt, *regnum* titulos. Et quod ad *regis Romanorum* titulum attinet, non ab eo solum, qui in futurum superstitis imperatoris successorem eligitur, is adhibetur, sed et nouiore obseruantia iam, qui in interregno ad suscipiendum statim imperium eligitur, priusquam Germanicam coronam susceperit, electus modo Romanorum rex, a suscepta illa coronatione inde electus Romanorum imperator vocatur (b).

6) Postrema mutatio facta a Maximiliano I. eiusque successoribus.

(a) Vide litteras, quas Maximilianus I. ea de re statibus imperii scripsit d. 8. Febr. 1508. in SCHMAVSS *corp. iur. publ.* p. 64. et Io. HEVMANN *diff. de insigni Germaniae eiusque regis titulo* (Altorf. 1744.) §. 10. p. 21.

(b) Moser vom Römischen Kayser p. 300. sq. §. 256.

§. IX.

Haec omnia autem si in vnum collegeris, et ex vera rerum gestarum indole diiudicaueris; certum quidem est, a *titulorum diuersitate plurimumue titulorum vnione ad diuersitatem vnionemue ipsorum regnum consequentiam reuera non valere*. Tituli enim quum sicut nummi valere dicantur, vsus eorum fere arbitrium facile deprehenderis. Interea inopinati nonnumquam ex solis titulis

Quae omnia si II) inuolucro subduxeris,

euenire possunt effectus, quin errore etiam aliove casu non solum tituli aliter, ac rei conueniret, haud raro construuntur; sed, quae nostri instituti ratio est, saepe et *erronea titulorum interpretatio* insignes alios producere errores potest.

§. X.

A) *variat quidem Europae Germanicaeque usus in titulis regum principumque,*

Quodsi nempe vniuersum Europae atque sigillatim Germaniae principum regumque vsus in instruendis dignitatibus suarum titulis inter se comparaueris; *alios*, quot regnis vel prouinciis singulisque sat exiguis saepe ditionibus imperant, quin etiam quibus imperandi ius sibi vindicant aut impostero saltem sibi suaeue posteritati fore sperant, tot diuersos titulos cumulare; *alios* semel introducta titulorum pristina simplicitate contentos, auctis licet possessionibus, nihil illis addere obseruaueris.

§. XI.

quum pluribus titulis mox diuersa, mox unita, mox tamen et plura regna ditionesque unico titulo indicentur.

Quae quum ita sint, *diuersi tituli* vt plurimum quidem *diuersa* etiam *regna* diuersasue ditiones indicant, veluti cuius generis *Hungariae Bohemiaeque* regna in titulis Austriacis sunt; et vicissim *unitis pluribus regnis* etiam *vniri tituli* solent, veluti qua ratione post *Angliam Scotiamque* vnitam *Magnae Britanniae* titulus introductus est. E contrario autem vti vehementer quis errauerit, si quis tot diuersa adhuc esse, quot in titulis recensentur, *Hispaniarum regna* crediderit; ita non minorem in errorem quis inciderit, qui solo *ducis Brunsvicensis et Lunenburgensis* titulo vnicum tantum territorium contineri putauerit, quum non solum diuersorum principatum

um

um Calenbergensis, Grubenhagenensis, Cellensis cumulatō in titulis facta non sit, sed nec nouiter aduifitorum ducatum Bremae Verdaeque, aliorumque principatum et comitatum mentio titulis adposita sit.

§. XII.

Eadem itaque ratione *ex solo Romanorum imperatoris regisue titulo reuera prorsus colligi non poterat*, ideo nulli alteri eundem imperatorem regemue praeesse regno. Nec certe ea mens fuit iis, qui primum hoc solo titulo vsi fuerunt, pristinis imperatoribus, quibus tantum principalis honoris titulus reliquos absorbere videbatur, etiam si nullo modo dissimulauerint, se non *Romanis* solum, sed et *Longobardis* et, qui primo loco nominari debebant, *Germanis* imperare, *diuersaque omnino imperia esse Romanorum imperium, regnumque Longobardorum, aliudque iterum Franciae orientalis, quin et Lotharingiae, et Burgundiae regnum.*

B) Sigillarim titulus regis vel imperatoris Romanorum 1) ab initio non exclusit separata Italiae Germaniaeque regna;

§. XIII.

Ita inquam non *CAROLI M.* solum eiusque posterorum aeuo, sed, nisi omnia me fallunt, etiam *OTTO- NVM* adhuc tempore se res habuit. At vero quo obscurior abhinc irruit *medii*, quod vocant, *aeui barbaries*, eo minus mirandum est, tempore tam parum litteris imbuto, ne dicam veri iuris publici vniuersalis iurisque gentium gnaro, mox *a titulis ad rem ipsam argumentum ductum fuisse*, adeoque gradatim vnum errorem mox alterum peperisse, ipsius scilicet, qui solum Romanorum imperatorem se vocabat, *solum et vnicum etiam esse Ro-*

2) post *Ottonum* tempora ansam tamen dedit confisioni regnorum *Romae, Italiae et Germania,*

14 DE MUTATIONE IN TITVLIS REGVM ET IMP.

manorum imperium; sub hoc ipso itaque etiam Germaniam non minus quam regnum Longobardicum contineri; immo demum ipsam Germaniam nunc esse imperium Romanum (a).

(a) Ita iam CONRADVS III. Imp. ratiocinatus esse videtur, literis ad Ioannem imperatorem Constantinopolitanum datis apud OTTONEM FRISINGENSEM lib. 1. cap. 23. in *MVRATORIUScript. Ital.* tom. 6. p. 658., vbi haec leguntur: „*Militibus imperii nostri, Alemannis scilicet, qui apud te sunt, benignus existas. — Te rogamus, vt hominibus imperii nostri, Teutonicis videlicet, qui Constantinopoli morantur, locum, in quem ad honorem Dei ecclesiam aedificent, concedas.*”

§. XIV.

quae a) tamquam proficua Germanis placuisse videtur,

Quancumque autem isti errores fuerint, adridere tamen Germanis tanto magis ii poterant, quanto honorificentius iis videbatur, nationem suam sic in *primum* omnium gentium locum poni, aliaque innumera inde profluere confectionaria, quae *Germanis nunc Romanorum nomine condecoratis* non honori solum sed et *emolumento* esse potuerint; perinde circiter, atque haud omnino dissimilem *episcopatus Wirzburgensis* in *ducatum Franciae orientalis* olim aliquando inuictam metamorphosin non sine commodo episcopatus adoptatam fuisse dubitari nequit.

§. XV.

nec b) a Maximiliano I. sublata fuit.

Etiam si itaque MAXIMILIANVS I. imperator, quum electi Romanorum imperatoris titulo titulum *Germaniae regis* adderet, a detegendo errore iam prope abesse videretur; tamen inueterata partim praecudicia viam veri-

veritati adhuc ocluderant, partim non placuisse videtur, quae non prodesse videbatur, veritas. Saltem diu post Maximilianum adhuc perdurasse eandem ipsius Germaniae tamquam vere Romani imperii repraesentationem, abunde constat; dictuque fere incredibile est, quanta ex hac vnica hypothesi prodierint errorum Lerna, vltiore adhuc disquisitione omnino haud indignae.

Sed alio iterum tempore volente Deo pertexendum erit, quod exorsus sum. Iam adnuncianda est noua candidatorum dignissimorum quaternio.

Primus eorum est

VIR CONSVLTISSIMVS

GEORGIVS BROEKEL

HANNOVERANVS,

NVNC IVRIVM PROFESSOR PVBL. ORD. IN ACADEMIA
KILONIENSI,

qui quum in numero candidatorum nostratium esset, sequentem vitae suae studiorumque narrationem nobis exhibuit.

Lucem adspexi primam Hannonerae anno seculi XLVIII. die Martii IV. Patre ibidem genitus sum Christophoro Elia BROEKEL, et matre Maria Margaretha SCHNAEBBLII nata; matrem hanc optimam in viuis adhuc veneror, sed pater desideratissimus aeternum mihi quoque colendus ante quatuor annos ad beatiores sedes est euocatus.



catus. Primam tenellam et iuuenilem aetatem subsidiis et doctrinis quibus adiuuari imbuti et emendari solet, omni animi contentioni parentes dilectissimi impertiendam curarunt, cuius beneficii in me colati, quo saluti meae et studiis optime consuluerunt, gratissimo pectore meminisse nullo tempore desinam.

Post prima in religione et litteris posita tirocinia **BALHORNIVS**, vir doctrinae candidissimi pectoris et meritorum in lycaeam Hannoueranum, cuius regendi curam suslinet, laude celeberrimus mansuetiorum pariter ac seueriorum litterarum me docuit elementa. Egregii huius viri beneficio, gratissima significatione commemorando, ad seueriores litteras penitus cognoscendas praeparatus, in academiam quae Goettingae floret profectus sum, et fautorum doctorumque quos ibidem inueni disciplina et consiliis adiutus discendae legum doctrinae me addixi, ita tamen ut sanctioris solidioris et politioris doctrinae solamina deliciasque haud negligerem. In legum arte viros doctrinae et meritorum gloria excellentes supraque laudes meas euectos doctores veneror **GEBAVERVM** in iure Romano; **BOEHMERVM** in iure canonico et feudali; **PÜTTERVM** in iurisprudentia Germanorum publica et iurium praëxi; **MEISTERVM** in iure Romano et criminali, gen. de **SELCHOW** in iure Germanico privato. In aliis praeterea doctrinis quibus meliores et beatiores efficiuntur, quo nomine solidior, et sanctior diuinitus patefacta religio, nec non vetus rerum memoria, studium mathematicum, et mansuetiores litterae mihi veniunt, virorum summe venerabilium **WALCHII** et **LESSII**, et illustrium **HOLLMANNI**, **KAESTNERI**, **ACHENWALLII**, **GATTERERI**, **HEYNI** et **DIETZII** gratissima nomina indicanda sunt qui disciplinae suae beneficio me auxerunt et ornarunt. Quibus auspiciis in litterarum studiis per quinque annos nunc versatus, ab illustri in hac alma musarum sede iurisconsultorum ordine ista qua decet obseruantia petii ut praestitis iis quae ex illustribus huius ordinis statutis praestari solent, ad summos in utroque iure honores capeffendos admitterer. Adnuit etiam singulari benevolentia hisce precibus, et nunc in eo sum ut petiti honores mihi conferantur.

Cum



Cum textus ex utroque iure ei propositus perdocte interpretatus fuit, tum quaestionibus e legitima iuris scientia tali doctrina ac soliditate satisfecit, ut lubens ordo noster non solum ei decerneret honores petitos, sed et praeuideret, non diu defore viro tam erudito provinciam alios erudiendi. Quumque post lectionem cursoriam ad L. 60. D. *pro socio* atque dissertationem inauguralem *de usuris pretii, an et a quo tempore mercator illas exigere possit?* sine praeside contra eruditos aduersarios defensam d. 15. Sept. MDCCLXX. fummos in iure honores me interprete adeptus esset, biennio post in academiam Kiloniensem ad munus professoris iuris ibi exornandum vocatus est.

Eodem professoris munere iam ornatus ad nostram Musarum sedem aduenerat alter, quem iam adnuncio,

VIR CONSULTISSIMVS
FRANCISCVS SPENGL

MANHEMIO PALATINVS

NVNC IVRIS GERMANICI PROFESSOR PVBL. ORD.
IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI

cuius en sequentem vitae studiorumque nobis exhibitam narrationem.

Ego Franciscus SPENGL natus sui Mannhemii in Palatinatu an. 1744. Ian. 20. ex patre, secretarii munere apud serenissimum principem Electorem Palatinum fungente. Infortunio meo accidit, ut ob aliquod oculorum vitium serius adplicarer studiis literarum, quarum tamen amore puer adeo feruebam, ut inscio patre, nullo

C

duce



duce magistro, tantum ex aliorum imitatione discerem litteras germanicas. Effecit hoc apud optimum parentem, ut me relinqueret informationi, quam ipso nesciente lucusque in lingua latina communem cum ephebis aulicis hauseram, absolutis humaniorum litterarum studiis in epheborum aulicorum schola, priuata institutione domestica, imbutus sum principiis philosophiae, quibus per biennium perceptis, Heidelbergam veni, Iurisprudentiae vacaturus, peracto hic triennali curriculo singulari ferenissimi nostri gratia iuris Germanici ibidem Professor, quo eo usque caruerat vniuersitas nostra, denominatus sum, impetrata simul, ea quam petieram, conditione, ut ad magis excolenda studia mea liceret mihi alias quasdam Academias inuisere, qua obta facultate celeberrimam hanc Goettingensium Academiam adii, vbi doctores habui viros illustres BOEHMERVM in iure feudali, PÜTTERVM in historia imperii et iure publico, ACHENWALLIVM in historia et notitia regnorum rerumque publicarum Europae, SELCHOVIUM in iure Germanico, GATTERERVM atque SCHLÖZERVM in historia vniuersali, HAMBERGERVM in historia litteraria; nunc ut ad specimina consueta iisque probatus ad summos in iure honores admittar, exoptans.

Quanto grauius viri consultiissimi fuit impedimentum in difficultate visus positum, tanto magis mirandi fuerunt, quos in doctrina legitimaque iuris scientia fecit, progressus. Textus enim ex vtroque iure ei datos in confessu nostro pererudita commentatione exposuit, et ad quaestiones ex vniuerso iuris ambitu depromptas aptissime respondit. Deinde d. 25. Apr. clolcccLxxI. remissa quidem ob aduersam valetudinem lectionis cursoriae recitatione dissertationem tamen inauguralem *de natura et indole emphyteuseos Germanicae* erudite conscriptam eadem

dem eruditione solidaque facundia publice et sine prae-
fide defendit. Eoque facto honores in arte nostra sum-
mos me tum prodecano eadem die est consecutus,

Tertio loco iam nominandus est

VIR PRAENOBILISSIMVS
THOMAS BRVNNEMANN

HAMBVRGENSIS.

qui sequentem nobis vitae suae studiorumque de-
scriptionem dedit.

Lucem adspexi Hamburgi die III. Augusti A. S. MDCCXLIX.
Patrem veneror Dettlev Io. Nic. BRVNNEMANN, negotiato-
rem in patria honestissimum, et matrem Elisabeth natam BERG.
Optimi hi parentes, quorum vterque diuina fauente clementia adhuc
superstes est, in tenera aetate in iis me instruendum curarunt, quibus
puerilis aetas imbui solet. Postea cum a domesticis tum a quibusdam
scholae Hamburgensis, Ioannei, praeceptoribus, in primis a beato
WERNERO, beato HACKIO et clarissim. ambobus MÜLLERIS,
Rectore et Conrectore in humanioribus litteris institutus sum. Gym-
nasium deinde, quod in patria floret, ingressus, *Physica* et *Mathe-*
se celeb. BÜSCHIVS, *Logica* et *Rhetorica* celeb. NOELTINGIVS,
historia literaria celeb. SCHÜTZIVS me imbuerunt, cumque do-
ctrinae sanctiori incumbere tunc temporis mihi animus erat, *linguis*
orientalibus duce celeb. PITISCO operam dedi. Famam denique,
qua apud externos Georgia Augusta gaudet, secutus, anno MDCCCLXX
ad florentissimam hanc mularum sedem me contuli, et a Magnifico
BOEHMERO, tunc temporis Prorectore, in album civium academi-
corum relatus sum. Nec spes mea me fefellit. Principia *iuri na-*
turae viri illustr. et celeb. FEDERVS et beatus ACHENWALLIVS

C 2

me



me docuerunt; principia *iuris ciuilis* secundum ordinem *Institutionum* et *Pandectarum*, nec non *iuris Criminalis* et *Canonici* ex praelectionibus virorum illustr. BOEHMERI et MEISTERI hausi; in *historia iuris* et principiis *iuris Germanici* Gener. DE SELCHOW praeceptorem habui; *ius publicum* et *historiam Imp. Rom. German.*, nec non *ius priuatum principum* et *processum amborum summorum Imperii tribunalium* illustr. PÜTTERVS mihi tradidit; *practicas* denique *in iure exercitationes* ducibus viris illustr. et celeb. PÜTTERO et CLAPROTHIO summo cum emolumento frequentauit. In *Logica* praeterea et *Metaphysica* denuo a celeb. FEDERO, in *historia*, quam vocant *uniuersali* et *arte Diplomatica* ab illustr. GATTERERO, in *historia statuum hodiernorum* ab ill. beato ACHENWALLIO, et in *Statistica* a cel. SCHLÖZERO institutus sum. Quibus omnibus egregiis viris pro insigni in instituendo fide et industria per totam vitam me obstrictissimum profiteor,

Quem perquam assiduam cognoueramus audire, eum in examineprehendimus eximiorum diligentiae suae fructuum compotem. Post eruditam enim legum more solito ei propositarum expositionem docte et promte respondit ad interrogationes singulorum ordinis membrorum. Quumque d. 21. Apr. 1766. praemissa lectione cursoria ad pr. *Inst. de emt. vend.* dissertationem inauguralem *de remedio reuisionis speciatim ex iure Hamburgensi* praefide ill. BOEHMERO docte propugnasset, eadem die decretam ei licentiam capefendi summos iurium honores ei contuli.

Quartus denique superest

VIR



VIR PRAENOBILISSIMVS
GVSTAVVS WILHELMVS DREYER,

BREMA SAXO.

Cuius vitae studiorumque descriptio sequente ipsius nar-
ratione exposita est.

Natus Bremae d. IX. Novembris A. MDCCXLIX, patrem habui
Henricum DREYER, S. S. Theol. Doctorem et in Batavia
quondam verbi diuini ministrum seniore ac primarium, matrem
vero Mariam Margaretham, Constantini COMANN, Gubernatoris
olim Amboinae, filiam. Hi optimi parentes omni studio id egerunt,
vt a teneris inde principiis sanctissimae religionis nostrae et reliquarum
litterarum artiumque elementis, tam priuatorum, quam publicorum
praeceptorum cura, probe imbuerer. Recordor grata et commota
mente duodecim primorum aetatis annorum, vbi et ipse pater carissi-
mus mihi dux et comes in eadem hacce via adliitit. Post acerbum
vero eius obitum mater pientissima dilectissimaque, quam, vt Deus
O. M. diutissime sospitem seruet, precor, munus tutelare in se sus-
cepit, et vteriori educationi meae, consiliis suffulta, tam sollicitè in-
vigilauit, tam benigne semper omnibus votis meis, pro feliciori stu-
diorum meorum successu conceptis, annuit, vt gratias, quas animus
ipsi persoluere potest, maximas, summamque pietatem nunquam non
inter dulcissima officia relaturus sim.

Finito scholae publicae curriculo, e cuius etiam salutari refor-
matione adhuc fructus percipere mihi licuit, A. MDCCCLXVI albo
studioforum me adscripsit Rector Magnificus b. Nic. NONNEN; a
quo tempore eruditissimorum et clarissimorum Ill. Gymnasi nostri
professorum praelectionibus me interfuisse gratissima semper mente re-
cordabor. In explicandis Veterum scriptis et antiquitatibus, tam ro-
manis, quam graecis excolendis, autores et suafores mihi fuerunt
Viri Clar. BÜSINGIUS, ROLLERVS et CASSELIUS. Philoso-

C 3

phiae



phiae partes, Logicam et Metaphysicam me docuit Clariss. IO. NON-
 NEN; mathesin puram Experient. HEINEKEN; artem disputandi
 Vir S. Rev. IO. OELRICHS, nunc Magnif. Lycei patrii Rector;
 et historiam vniuersalem Excell. atque Consult. IO. Abr. AHASVERVS.
 Ad studium vero iuris me applicaturus eundem huncce Virum Con-
 sulissimum et Fautorem inter plures, ob clarissima et non interrupta
 in me beneuolentiae documenta, summe pietate venerandum ducem
 habui in iure naturali, historia iuris litteraria, et, subiuncto exami-
 natorio, in elementis iuris ciuilibus, quae Consult. HABERNIKKELIO
 praeunte, mihi quoque tradidit Excell. Did. RVNGIVS.

Hisce studiis tinctus, et consuetudine ac exemplo optimorum
 commilitonum ad industriam morumque integritatem semper excita-
 tus, A. MDCCLXIX, mense Oct., in florentissimam hanc Georgiam
 Augustam me contuli, et a Viro Summe Rever. P. I. FOERTSCHIO,
 tum temporis Prorectore Magnifico, in numerum ciuium academico-
 rum receptus sum. Omne autem tempus, quod hic degi, ita, con-
 filiis Fautorum adiutus, dissipare studui, vt, quantum quidem po-
 teram, necessarium cum vtili et iucundo semper coniungerem. Con-
 tigit enim mihi in omnibus philosophiae partibus, tam theoreticis,
 quam practicis et historia philosophica Excell. FEDERVS; in physico-
 ces parte generali et speciali, ac introductione in vniuersam philoso-
 phiam Celeberr. HOLLMANNVS; in antiquitatibus Iuris Roman.
 Consult. SPANGENBERGIVS; in explicatione orationum Cicero-
 nis in Verrem Ill. HEYNIVS; in iure naturali, doctrina politices,
 notitia praecipuarum Europae Rerumpubl. et variis historiae partibus
 Illustr. B. ACHENWALLIVS et Excell. SCHLOEZERVVS; in hi-
 storia vniuersali, arte diplomatica et egregiis ad Taciti Germaniam
 praelectionibus Illustr. GATTERERVVS; in historia litteraria recen-
 tiori meritissimus B. HAMBERGERVS; in historia iuris vniuersi
 Ill. BECMANNVS senior et Ill. ac Gener. de SELCHOW; et de-
 nique in historia S. R. Imp. Ill. PÜTTERVS et Ill. de SELCHOW,
 modo laudatus. In ipsa vero Iurisprudentia positua eiusque applica-
 tione duces veneror, Viros Illustr. Excellentissimos atque Consul-
 tissimos

tissimos BOEHMERVM in iure Romano, Canonico et feudali; PÜTTERVM in iure publico germ., iure priuato principum, re iudiciaria Imperii, praxique iurium artem referendi simul complectente; MEISTERVM in institutionibus, pandectis et iure criminali; BECMANNVM seniore in iure ciuili, theoria processus, ac speciatim appellationum; Gener. DE SELCHOW in Struv. Iurispr. for. et iure Germ. tam priuato, quam publico; et CLAPROTHVM in doctrina de actionibus, atque collegio elaboratorio practico. Praeterea sub moderamine Ill. BOEHMERI exercitia disputatoria excolui. Et denique collegium examinatorium a Consult. BROEKELIO ad digesta institutum frequentavi, et Consult. HOFACKERI praelectionibus systematicis puri iuris Rom. quoque interfui. Transactis vero intra quadriennium pro virili omnibus hisce laboribus, superiori iam anno summos in vtroque iure honores, ea, qua decet, obseruantia expetiit, et cum Illustri Iureconsultorum Ordo huic petitioni, superato examine, singulari beneuolentia, adnueret, reliquum temporis conscribendae dissertationi inaugurali, laetus impendi, ad cuius potiora capita publice defendenda me iam accingo.

Omnino tali ordine ac successu summaque cum solertia tractauit omnes iurisprudentiae scientiarumque cum illa iunctarum partes, vt praeuideri dudum possent, quae euenerunt. Nimirum in examine quod in coetu nostro subiit non solum doctissimam praelegit duarum legum ex vtroque iure depromptarum expositionem, sed et nulli non respondit quaestioni ex quacumque iuris parte ei propositae non minore cum soliditate quam facultia. Iam quod superest ad d. 20. Augusti lectionem instituet cursoriam ad L. 9. D. de lege Rhodia de iactu Deinde dissertationem inauguralem de iuris Romani et
speciatim



*speciatim adtionum poenaliu in Germaniae foris auctori-
tate elaborauit ita comparatam vt nouam eamque infi-
gnem lucem grauissimo huic argumento accensura fit.
Vt ne vero iusto diutius a reperenda patria et ab itinere,
quod meditatur, litterario detineatur, atque valetudini
non satis firmae parcatur, theses modo *selectas* ex ista
dissertatione depromtas publice et sine praeside dicta die
defendet. Eoque facto me interprete summos in iure
honores ei decretos obtinebit. Quem sollennem actum
vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,
ILLVSTRISSIMI COMITES, PATRES CONSCRIPTI,
HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, CI-
VES ET COMMILITONES GENEROSISSIMI ET PRAE-
NOBILISSIMI honorifica ac frequenti praesentia condeco-
rare velint, qua decet obseruantia rogo.*

P. P. Goettingae d. XII. Aug.

clb10cclxxiv.



ORDIN
IOANNES

I, V. D. REGI A CON
IV

VIRORV
GEOR

FRANC

THOMA

GVSTAVI

SOLLENN

PRAE

de instauratione imp

P

*de mutatione, quae
illa instauratione*

EX OFFICI

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres

Farbkarte #13

S
TTER

PROFESSOR

E L

L

NNI

YERI

T.

Ottonibus

a secunda
us.